



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 76. Deputati a Rege ad conjuratos missi, horumque responsum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

§. LXXV.

*Calvinistarum consilia de Rege capi-  
piendo.*

Sæcul. XVI.  
A. C. 1567.

Equidem omnino certum non constat, quid Calvinistæ hac aggressione sua moliri voluerint, id tamen vero fati-  
mole videtur, quod ipsam Regem, ejus-  
que Fratres comprehendere tentave-  
rint, ut Regnum pro suo arbitrio mo-  
derari, omnesque ipsorum consiliis ad-  
versantes e medio tollere possent. Hu-  
jus sceleris suspicio præcipue in Prin-  
cipem Condæum cadebat, adeo, ut  
validæ illum de hac perfidia accusandi  
rationes obversari crederentur: interim  
ut res se habuerit, id omnino explo-  
ratum habetur, quod Condæus, cete-  
rique suæ factionis homines consilii sui  
successu frustrati Clajam adeo pertur-  
bati auffugerint, ut per quatuor, vel  
quinque dies ibidem hæerent delibe-  
rantes, quid demum consilii caperent,  
vel quo obtentu suam perfidiam hone-  
starent.

*Dupleix  
hist. de  
France t. 3.  
pag. 716.*

§. LXXVI.

*Deputati a Rege ad conjuratos missi,  
horumque responsum.*

Sub idem tempus Clajam a Rege ad  
conjuratos primo Hospitalius Can-  
cellarius, Vetus villa, & Morvillerius  
decernebatur, postea autem rursus so-  
lus

*Thuan. l. 42.  
la Popel.  
l. 12.*

Sæcul XVI.  
A.C. 1567.

lus Sansulpitius, ac denique tertia vice Cancellarius, & Sansulpitius unacum Lemovicensi Episcopo ad eosdem mittebantur, qui eisdem exponerent, Regi, ac cunctis novum, ac insolens videri, quod homines nulla injuria laceffiti inopinato, ac sine mandato arma sumpserint, ac proprium suum Regem in suo Regno prope invaserint, pessimo sane exemplo, quippe fide, & obsequio, quod Regi debent, labefactatis: si autem exteri Principes, nisi prius facta causarum denuntiatione bellum alteri inferre minime audent, multo minus id moliri debuissent subditi contra suum Regem, quod citra perduellionis crimen facere non potuerunt, cum aggredirentur Principem suum, cui tamen omne obsequium præstare tenebantur.

Verum ad hæc rebelles respondebant misso libello, quem Regi exhiberi postulabant, in eo autem rem excusabant, dicentes, quod suorum inimicorum, qui Regis aures ad querelas toties repetitas obstruunt, adacti fuerint, ut tutelæ suæ causa, & necessitate potius, quam sponte ad extrema consilia descenderint. His dictis acerbe in Guifianos debacchantur, eorumque inquietas mentes, & ambitiosa consilia acerbis verbis exagitant. Insuper etiam mentionem fecerunt Bajonnensis colloqui

quii cum Albæ Duce habiti, hæc afferentes: „nos non latet, quod ibidem „decretum fuerit, ut Condæus Princeps, Colinius maris Præfectus, & „Andelotus, aliique Proceres caperentur, idcirco ad arma conclamavimus, „ut nos defendamus, cum aliam tuendæ nostræ libertatis, ac vitæ rationem „non habeamus: de cetero autem arma deponere parati sumus, si data „securitate pax æquis conditionibus constitueretur „

§. LXXVII.

*Parisiensis urbs a Calvinistis cincta.*

Cum Condæus Princeps præteritæ perduellionis haud immemor injuriæ Regi illatæ veniam obtinere desperarit, Parisinam Urbem cingere, ac famis violentia sibi subicere constituit, donec omnes, qui ferme in universo Regno adversus suum Principem arma sumpserant, sese eidem conjungere possent, eapropter hic idem in mandatis dedit, ut in Aquitania, Delphinatu, Alverniis, Occidania, & alibi æque, ac in Germania copiæ conscriberentur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.

*Thuan. l. 6.*  
*Davila l. 4.*  
*pag. 205.*  
*Mezerai t. 5.*  
*pag. 153.*

§. LXXVIII.

*Vicina hujus Urbis loca a Calvinistis capta.*

Præ-